


05

A

681





IN NOMINE JESU!
SYMBOLUM APOSTOLICUM
ADAMI PROTOPLASTI,
HOC EST,
CATHOLICA CHRISTIANORUM
DOCTRINA,
SYMBOLO APOSTOLORUM
COMPREHENSA,
SED PRIMIS STATIM FIDELIBUS
GENES. III. DIVINITUS REVELATA,
NUNC
SOLENNI DISPUTATIONE
DEMONSTRATA,

QVAM
IN ALMA WITTENBERGENSI ACADEMIA,
PRÆSIDE

D. JOHANNNE *Deutschmann*/
Prof. Primar. Colleg. Theol. Seniore,
& p. t. Decano,

RESPONDENS

M. JOH. CHRISTIANUS ADAMI,
LUCCAVIENSIS LUSATUS, ECCLESIAE PATRIÆ
ARCHIDIACONUS, ET SS. THEOL. CANDIDATUS
DIGNISSIMUS,
PRO CONSEQUENDIS SUMMIS IN THEOLOGIA
HONORIBUS,

IN AUDITORIO MAJORI,

Ad Diem Julii, Anno Æ. C. cIc Icc XCIV.

Horis Ante- & Pomeridianis,

publice defendet.

WITTENBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.



189 A 05





IN NOMINE JESU!
SYMBOLUM APOSTOLICUM
ADAMI PROTOPLASTI,
AUDITORIS, ET DOCTORIS, PRIMI
CHRISTIANI, VEL MESSIANI,
SECUNDUM GEN, III.

I.
Pnsigne dicitur *Elogium*, & *Encomium*,
quo *Spiritus Sanctus* Patriarcham *A-*
brabamum, per *Apostolum Paulum*, or-
navit, dum Eum *Patrem* omnium,
Credientium appellavit. *Titulus* hic
est (1) *Divinus*, & *Principalis*, solique
Deo proprius, qui jure dicitur, & est
Pater omnium Credentium, & κατ' ἐξοχήν hoc *Titulo* gaudet.
Est (1) *Pater κατ' ἐξοχήν Deus*, hinc passim *Pater caelestis*
appellatur: notabilis est locus *Christi Salvatoris*, *Matth. XI.*
25. Confiteor tibi, Pater, Domine Caeli, & terra. (2) Est *Pater*
omnium, *Malach. II. 10. Numquid non Pater Unus omnium*
nostrum! Numquid non *Deus Unus* creavit nos? Idem
etiam *Paulus* asseruit *Eph. IV. 6. Unus Deus, & Pater omni-*
um, qui super omnes, & per omnes, & in omnibus. Hinc
etiam *Pater Universitatis*, vel *omnium rerum*, tanquam *Au-*
tor primus. Causa prima, Principium primum appellatur,
(3) Est *Pater CREDENTIUM* omnium, sicut etidem *Christus*
inquit *Joh. XX. 17. Adscendo ad Patrem meum, & PATREM*
VESTRUM, & Deum meum, & Deum Vestrum.

4 SYMBOLUM APOSTOLICUM

2. *Titulus* hic (II) *Primus*, & *Cardinalis*, quando *Pater omnium Credentium* de *Magnis Patriarchis* inter homines dicitur. Dicitur *Primus* ejusmodi *Patriarcha*; nam cui *Titulus* hic tribuitur, is, in ordine certo, *primus* deprehenditur. *Cardinalis* a. vocatur, dum in hoc, tanquam in *cardine*, tota *janua*, per quam à primo pendentes ingrediuntur, & egrediuntur, amplitudo, vel latitudo, vertitur. Et dicitur *Patriarcha* talis *Credentium Pater*, non tam *corporalis*, quam *spiritualis*, non tam *substantialis*, quam *doctrinalis*, non tam *naturalis*, quam *moralis*, non tam *generationis*, quam *imitationis*. Omnium autem *Credentium Pater* vocatur, cum omnes *credentes*, ipsum sequentes, tanquam *Filij spirituales*, ad hunc *Patrem* jure quodam suo referantur.

3. Respectu *Tituli* hujus *primi*, vel *Cardinalis*, tres potissimum *Patriarchas* hoc *Encomio* singulari condecorare possumus. *Primus* simpliciter est *Adam Patriarcha*, *primus* hominum, Gen. II. 7. *primus* Doctorum, cap. III. 20. *primus* *Credentium*, tum antediluvianorum, tum postdiluvianorum, dum fidei verbum, Gen. III. 15. quod est *Evangelium*, Rom. X, 8. *primus* à coelesti Doctore, *Jehova Elobim*, audivit, & ei fidem omnem habuit, atq; sic id ipsum fide firmissima credidit. Et hic equidem nō expressis *litteris*, & *syllabis*, *Pater omnium Credentium* salutatur, ipsa tamen re, tanquam *Pater omnium Credentium*, per ipsum *Spiritum Sanctum*, in verbo Dei repræsentatur. *Pater* hoc (1) ex ipsa *prima creatione*, Gen. II, 7. (2) ex *adequata Patris hujus ad Deum relatione*; nam *Adam* dicitur, fuisse solius *Dei*, Luc. III. 38. non tantum quoad *naturam*, sed etiam, quoad *doctrinam*, & quoad *fidem credentium salvificam*. (3) ex *prima verbi fidei*, vel *Evangelij*, promulgatione, Gen. III. 15. (4) ex *primi speciminis doctrinalis*, & *Doctoralis* *consideratione*, quia *primus* *vite spiritualis*, & ipsius *fidei* *præco*,

praco, credentiumq; simul omnium Pater Doctrinalis factus est, Gen. III. 20. (5) ex emphatici Nominis Eve collatione, dum Evam, Conjugem suam, חַוָּה, vel Evam nuncupavit, & rationem denominationis statim allegavit, quod sit futura Mater omnium viventium, vel in Messiam credentium: Mater autem, & Pater, relata sunt, dum inter homines Mater non potest esse sine Patre: Mater igitur in Messia viventium, & vere credentium, etiam Patrem credentium præsупponit. (6) ex Ecclesia fundatione, quia tota Messianorum, seu Credentium, Ecclesia fuit in paradiso fundata, perque primum Doctorem, Adamum, propagata, qua ratione vere credentium Pater appellari potest, atque debet. (7) ex omnium Credentium originatione, quia cuncti credentes aliunde suam non possunt originem habere, quam ab Adamo: non equidem tantum ratione carnalis generationis, sed etiam ratione spiritualis regenerationis, informationis, veræq; conversionis. (8) ex Patriarcharum, tanquam Ecclesia Credentium Præpositorum, recensione, quia Cap. V. Patriarcharum, qui Capita fuerunt Ecclesiarum Antediluvianarum, vel omnium Credentium, Vita describuntur, & ad Adamum, tanquam Patrem Ecclesiarum, & Credentium, omnes hi referuntur: jam Ecclesiarum membra, vel Credentes, sequuntur Patriarchas, vel Capita, ceu Patres. Fons, & Origo Caputum, est fons, & origo membrorum. (4) ex Abelis, & aliorum Heroicorum fidelium equali conditione: nam Heb. XI. 4. seqq. integer Catalogus Heroum Credentium introducitur, inter quos Abel primo loco producitur: qualis autem conditio, vel origo Credentis Abelis, talis etiam conditio, vel origo Henochi, Noe, vel aliorum Credentium, insequentium: jam Abel, & ut homo, & ut fidelis, & credens, suam originem Patri debet Adamo, dum ab hoc suam & vitam naturalem, & doctrinam spiritualem, consequenter & mysticam fidem, & vitam, accepit.

4. *Alter Pater omnium Credentium, est Noachus, universalis totius mundi, post diluvium, Monarcha, omnium hominum Ebnarcha, omnium Ecclesiarum Hierarcha, & omnium credentium Patriarcha, secundum ipsam demonstrationem Spiritus Sancti, Gen. IX. 1. seqq. (a) quia Sacer est, & auctor, omnium hominum, post diluvium futurorum, idque propter repetitam benedictionem Dei, quoad multiplicationem generis humani, v. 1. Benedixit Deus Noe, & filiis ejus, & dixit ad eos: Crescite, & multiplicamini, & replete terram. (b) quia Dominator est omnium creaturarum, propter repetitam Domini, vel privilegij concessionem, v. 2. Terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terra, & super omnes volucres caeli, cum universis, quae moventur super terram, & super omnes pisces maris, manus vestra traditi sunt. &c. Sicut enim omnium animalium fuerat Conservator, & Dominator, in arca, sic etiam ab ipso Deo fuit in hoc Dominio confirmatus, & super omnia Dominator constitutus est. (c) quia novus factus est mundi totius, tanquam Feudi Creatoris, possessor, v. 3. & omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum, quasi olera viventia tradidi vobis omnia: postliminio mundus, tanquam Dei, supremi Domini, Feudum ipsi concessus, ut instar Vicarij, vel Plenipotentiarj, loco Supremi Dominatoris, & teneret, vel possideret, & regeret, & in usum suum adhiberet omnia. (d) quia novus est factus divinarum Legum observator, & conditionum Feudi conservator, v. 4. Veruntamen carnem cum anima sanguinis ipsius non comedetis: sanguinem enim animarum vestrarum requiram, de manu cunctarum bestiarum requiram eum, & de manu hominis, de manu viri, & de manu viri, fratris ejus, requiram animam hominis: Quicumque effuderit humanum sanguinem, per hominem fundetur san-*

sanguis illius: Ad imaginem quippe Dei factus est homo. (e) quia novus est factus hominum per totam terram disseminator, v. 7. Vos autem fructificate, & multiplicamini, moveamini in terra, & multiplicamini in ea: quæ quidem verba videntur intuitu primo simpliciter idem cum v. 1. inferre; sed accuratius si considerentur, & conclusionem externorū, hactenus propositorū, eorumq; confirmationē, & universalem hominum per universam terram dilatationem, formaliter referre deprehenduntur, sicut v. 1. potissimum fecundissima generis humani multiplicatio notata fuerat. (f) quia novus factus est Dei Confœderator, v. 8. 9. Hæc quoque dixit Deus ad Noe, & ad filios ejus cum eo. Ecce, Ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos: quibus non inconvenienter ad fœdus, in Messia fundatum, & confœderationem spiritualem respectus habetur, tum quia cunctæ corporales promissiones, & divinæ conservationis, atque providentiæ, dotes primum, & fundamentaliter, ad Messiam referuntur, sine quo candidati justitiæ fuisset, & pœnæ, non autem gratiæ, vel beneficentiæ divinæ, subjecta, non promissionum, & beneficiorum, sed comminationum, & suppliciorum; tum quia Noacho, tanquam Messiano, contigit hæc confœderatio; tum quia mox in seqq. fit pacti, vel confœderationis, repetitio, v. 11. quæ geminatio non obscurius geminum respectum indicare, vel insinuare videtur. (g) quia Noa factus est novus omnium Doctor, & manu ductor, qua de causa peculiare signum gratiæ, vel hujus fœderis, accepit in Iride, v. 12. Dixit Deus: Hoc est signum fœderis, quod do inter me, & Vos, & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas: Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram: cumque adduxero nubem super terram, apparebit arcus meus in nubibus

SYMBOLUM APOSTOLICUM

8
 bibus cœli: & recordabor fœderis mei, quod pepigi vobiscum,
 & cum omni anima vivente, quæ carnem vegetat, & non e-
 runt ultra aqua Diluvij, ad delendam universam terram.
 &c. Hæc, & alia, Noachus, tanquam Universalis Præceptor,
 vel Doctor, suos posteros, & imprimis credentes, docere, cun-
 ctosque de gratia Dei certos reddere debuit, ut esset com-
 munis omnium Fidelium Pater. (h) quia Noa factus est
 universalis sacerdos, & omnium hominum, cum primis fi-
 delium, imo totius terræ reconciliator, quia c. IIX, 20. post
 egressum ex arca, statim edificavit altare Domino, & tol-
 lens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit bo-
 locausta super altare: Odoratusq; Dominus est odorem sua-
 vitatis, & dixit Dominus ad cor suum: Nequaquam ultra
 maledicam terram propter homines, quia figmentum cordis
 humani malum est ab adolescentia sua; non igitur ultra
 percutiam omnem animam viventem, sicut feci: cunctis
 diebus terra, sementis, & messis, frigus, & æstus, æstas, & hy-
 ems, nox, & dies, non requiescent. Sic etiam, ut sacerdos,
 Benedictionem suis filiis, imprimis fidelibus, & morigeris,
 distribuit, c. IX, 26. 27. (i) quia novus factus est Propheta
 de maledictione futura malorum, & infidelium, v. 25. & de
 benedictione piorum, & fidelium, v. 26. 27. (k) quia fuit
 novus Rex, & Pater Patriæ, vel etiam totius terræ, cum pri-
 mis etiam Gubernator, & Pater Ecclesiæ, sicut dicitur c. X, 32.
 Hæc familia filiorum Noæ, juxta populos, & nationes suas.
 Ab his divise sunt Gentes, (& secundum Gentes Ecclesiæ,
 sicut etiam, secundum Ecclesias, credentes, quorum Uni-
 versalis Pater Noa sic evasit,) in terra post diluvium. (l)
 quia secundum Ambros. lib. de Noe, & Arca, cap. I. Noachus
 dicitur Justitiæ seminarium, ex quo Credentes omnes sua
 semina consecuti sunt, eumque, ceu Patrem, respexerunt:
 secundum Theodoretum vocatur ἀπέγοντα τῆς γένεως, Semen
 Gene-

ADAMI PROTOPLASTI.

Generis Humani, ρίζα τῆς φύσεως, radix natura, ἡ δὲ ἄλλα
 Ἀδὰμ, alter Adam: ab aliis aliter appellatur, sed hæc omnia
 Noam, seu Patrem credentium, respiciunt.

§. Tertius Pater omnium credentium est Abraham, qui disertis verbis à Spiritu Sancto sic appellatur, Rom. IV. 11. Πατὴρ πάντων τῶν πιστεύοντων: sic enim scribit Paulus, vers. 9. Dicimus enim, quia reputata est fides Abrabæ ad justitiam. Quomodo ergo reputata est? In circumcissione, an in praputio? Non in circumcissione, sed in praputio. v. 10. Et signum accepit circumcissionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in praputio. v. 11. ut sit PATER OMNIUM CREDENTIUM, per praputium, ut reputetur & illis ad justitiam, & sit Pater circumcissionis, non his tantum, qui sunt ex circumcissione, sed & his, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in praputio Patris nostri Abrabæ. Hæc Apostolus deduxit ex Gen. XV. ubi v. 1. Mesias peculiarem, propter Patriarcham, apparitionem instituit, inquit: Noli timere, Abram, Ego protector tuus, & Merces tua magna nimis: mox facta promissio multiplicationis seminis, v. 5. ubi Patriarchæ dicebatur: Suspice cælum, & numera stellas, si potes, & dixit ei: sic erit semen tuum: post illustre fidei datur Encomium: Credidit Abram Deo, Heb. בָּיָאָהוּבָה, in Deum, & reputatum est illi ad justitiam, c. XVII. 4. seqq. nova Patriarchæ facta promissio: Ego sum, & ponam pactum meum tecum, erisque PATER multarum gentium, non unius gentis: Nec ultra vocabitur Nomen tuum Abram, sed appelleris Abraham, QVIA PATREM MULTARUM GENTIUM CONSTITUI TE. B. Selnecc. Comment. in Genes. c. XVII, scribit: Exponit rationem mutati Nominis ipse Deus, inquit: Patrem multarum Gentium posui te. Et Paulus Rom. IV. 11. Galat. III. 9. enarrat hoc Etymon, non de populo Judaico tantum, sed universaliter, de innumerabili illa

B

borais

hominum multitudine, qua omnibus temporibus, & locis, ad societatem Ecclesiae, & vitae aeternae vocanda erat, cujus Pater, i. e. speculum, & Exemplar Abraham, credens promissioni de Semine Christo, & voci Dei obediens. Unde & Semen Abrahae, & filii Abraham, Job. II. 39. 40. Matth. III. 9. Gal. III. 7. nominantur, non qui carnali generatione propagati sunt ex Abraham, sed qui sunt ex fide Abraham, hoc est, omnia viva membra verae Ecclesiae, sive omnes fide amplectentes promissionem de Christo, Abrahae traditam.

6. Titulus hic (III) *Novissimus*, & *Universalis*, quando nim. *Apostoli*, *Doctores Catholici*, vel *Oecumenici*, *Credientium Patres Ministeriales* appellantur, id quod multis ex antiquitate demonstrari posset. Et ex eorum *Doctrina Symbolum Apostolicum* consignatum est. Et ita facile dimittimus illorum sententiam, quasi nim. *Apostoli* forent *immediati Doctores*, & *Scriptores Apostolici Symboli*, quam *B. Dn. D. Calovius* in *Syncret. Calixt.* solide refutavit. Saepius equidem *Patres de Norma fidei*, de *Regula fidei*, de *Symbolo fidei*, &c. loquuntur, & illud ad *Apostolos* referunt, sed hoc de *materia* potius, quam *efficiente causa*, de *doctrina*, non autem de *Doctoribus*, quoad *formalem structuram*, & *articulorum juncturam*, dicitur intelligendum.

7. Interim *Apostoli* non inconvenienter *Patres omnium Credentium* appellantur, (1) *quia* doctrinam fidei Catholicae suis concionibus per universam terrarum orbem praedicarunt. (2) *quia* fidem orthodoxam de Christo per suum praediconium ad omnes credentes propagarunt. (3) *quia* per scripta *ἑβραϊστικῶν* Novi Testamenti fundamentum immotum cunctis credentibus posuerunt, sicut de tota credentium Ecclesia dicit Apostolus, Eph. II. 20. superaedificati estis super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso angulari lapide existente Jesu Christo. (4) *quia*

(4) quia credentes omnes, & singuli, cunctorum temporum, & locorum, Apostolos, tanquam Patres fidei Ministeriales, & spirituales, respexerunt- (5) quia credentes Apostoli communiter *Filios, & Filiolos* appellarunt, adeoque sibi nomen *Patris* consequenter adsignarunt. Conf. 1. Job. II, 1. 12. 28. c. III, 7. 18. &c. (6) quia suis *Dictis, & Scriptis*, largissimam *Apostolico Symbolo* materiam, ad perpetuum *Christianorum usum, & Oratoriam Christiane devotionis praxin*, prudenter suggesserunt.

8. Hoc modo *Symbolum Apost.* piis nostris meditationibus destinavimus, *partim* propter *Ecclesiasticam dignitatem*, quia non tantum olim in Ecclesia primum inter *Ecclesiastica Symbola* locum, vel ordinem, obtinuit, sed adhuc hodie, cum primis in *Libro Christ. Concord.* quoad omnia, tum *vetustiora*, tum *recentiora Symbola*, classem ducit, siquidem *vetustiora tria* numerantur, *Apostolicum, Nicenum, & Athanasianum*, *recentiorum* quinque, *Augustana Confessio, Ejus Apologia, Articuli Smalcaldici, Catechismus uterque B. Lutberi, & Formula Concordie*, specialiter ita dicta, quoad *Epitomen Controversiarum, & solidam Declarationem*. Propter certam aliquam *prærogativam* igitur, ex *consensu Doctorum*, Libellorum *Symbolicorum* agmen *Apostolicum Symbolum* duxit: *partim* propter *canam antiquitatem*, quia licet in diebus *Apostolorum* non extiterit, neque primis statim post *Apostolos* temporibus in Ecclesia floruerit, tamen *antiquissimis* temporibus à *Patribus* illustres *Commentationes* accepit, quæ tamen cum aliis hic adducere nolumus, cum hic de *ortu, vel progressu*, hujus *Symboli* solliciti non simus; *partim* propter *originalis Symboli divinitatem*, quia *Symbolum* hoc *Apostolicum* suos ex *authenthico Symbolo Christi Salvatoris natales* vere ducit, quod *Matth. XXIX. 19.* legitur, ubi tanquam *Symbolum baptismale, fundamen-*

sale, vel universale, Fides SS. Trinitatis in ipso regenerationis lavacro producta, dum Salvator Apostolis præcipit baptizare Gentes omnes in Nomine Patris, Filij, & Spiritus S. Sicut enim baptizamur, ita credimus, & sicut credimus, ita baptizamur: baptismus siquidem est lavacrum regenerationis in Verbo, Eph. V. 26. Verbum autem hoc baptismale verbum fidei, cum Evangelium sit fidei Verbum, Rom. X. 8. & regeneratio nihil aliud est, quam fidei, seu vitæ spiritualis communicatio, Joh. I. 12. Gal. II. 20. Partim propter Apostolici Symboli Universalitatem; nam hodie, quam late patet Ecclesia Christianorum, tam late quoque patet usus Apostolici Symboli: partim propter Apostolici Symboli utilitatem, quia multivarium hoc Symbolum Ecclesie, vel Christianis præstat usum, nim. tum usum harmonicum, respectu Scripturæ, cum qua perpetuam, adæquatam, & Catholicam harmoniam alit, sicut alia vera symbola Orthodoxarum Ecclesiarum consensus cum scripturis Catholicum requirunt: tum usum Didacticum, ratione doctrinæ, quia Symbola nihil aliud plerumque sunt, quam doctrinæ cælestis compendia, quibus doctrinæ cælestis breviter exponitur, & imprimis rudioribus proponitur: tum usum homologeticum, respectu fidei, quia Symbola sunt Confessiones fidei, prout Compend. Hutt l. I. q. XI. ex Form. Conc. p. 571. docet, quod Symbola sint breves, sed maxime piæ, atque in verbo Dei solide fundatæ Confessiones fidei Christianæ, oppositæ illis hæreticis, qui partim Apostolis adhuc superstitionibus, partim post eorum tempora sint exorti: tum usum catecheticum, respectu Ecclesie, dum in Ecclesia, cum primis ad rudiores informationem per questiones, & responsiones, instar Catecheseos, adhibetur: tum usum Elencticum, respectu Hæreticorum, quia Symbola communiter Hæreticis opponuntur, & in iis motæ controversiæ deciduntur:

tum

tum *usum preccatorium*, respectu *praxeos Christianae*; quia multis à seculis inter Christianos usu receptum est, ut *Apostolicum Symbolum*, precibus *matutinis*, & *vespertinis*, ut & aliis, subjiciatur, & devotæ preces partim *confessione SS. Trinitatis*, per solennem Formulam, in *Nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti*, feliciter *inchoentur*, & in ejusdem *SS. Trinitatis professione*, per *Symbolum Apostolicum* felicissime finiantur, & concludantur. Plura nunc addere nolum.

9. Unum saltem hic omittere non possumus, quod ad præsens institutum propius accedere videtur, nim. *Apostolicum Symbolum*, vel ejus *Doctrinam, accuratam, & omnimodam alere cum Doctrina Protoplastorum*, adeoque *primis revelationibus, conformitatem*, atque meditationum nostrarum hoc præsens erit *objectum*. Et ex hoc facile colligitur (a) *Deum Unum* semper, & *eundem esse*, sicut *David* inquit, *Psal. CII, 28. Tu idem Ipse semper es; & quidem ad prima tempora Creationis directe respicit, sicut ex antecedentibus patet, v. 26. Initio tu, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt caeli: Ipsi peribunt, tu autem permanes; & omnes, sicut vestimentum, veterascent, & sicut indumentum, mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem Ipse es, & anni tui non deficient.* (b) *Veritatem divinam semper eandem esse*, sicut idem *David omnes gentes ad confessionem aeternæ veritatis excitat, Ps. CXVII. I. Laudate Dominum, omnes gentes, laudate eum omnes populi, quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & VERITAS DOMINI MANET IN ÆTERNUM.* (c) *Deum immutabilem esse, non tantum in Essentia, sed etiam in sententia, vel Doctrina, qua de causa Jehova dicit ipse, Malach. III. 6. Ego Jehova, & non mutor. Num. XXIII. 19. Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur, (vel ut suam corrigat sententiam,) nec ut Filius Hominis, ut mutetur,*

etur, (vel ut pœniteat eum, nim. suarum, vel promissio-
 num, vel comminationum, vel constitutionum) Dixit
 ergo, & non faciet, locutus est, & non implebit. (d) Ver-
 bum Dei semper unum, & idem esse, quia Verbum Dei tum
 est, tum manet in æternum, Esa. XL. 8. siquidem Cœlum,
 & terra transibunt, sed Verba Dei non transibunt, Luc. XXI.
 33. nec transire, vel perire possunt, teste Christo, Matth.
 V. 18. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum, & ter-
 ra, jota unum, aut unus apex, non præteribit, (vel peribit,)
 à lege. (e) Unam esse Dei Legem, quæ per creationem be-
 neficio Imaginis divinae fuit omnibus mentibus impressa
 Gen. I. 26. 27. vel naturâ, τῆς φύσεως, cordibus, etiam gentili-
 um, inscripta, Rom. II. 15. in monte Sinai solenniter repe-
 tita, Exod. XX. 2. seqq. & per universum Vetus, & Novum
 Testamentum, in identitate sua sæpius exposita: Verbum
 Legis est æternæ Veritatis, æternæ pariter obligationis. (f)
 Unum, & idem, semper esse divinitus promulgatum Evan-
 gelium, sicut Paulus emphaticis verbis coram Rege Agrip-
 pa, & Præsidente Festo, & Proceribus, ἡμεῖς ποδῶντος Παντασίας
 congregatis, testatur, Act. XXVI. 22. Auxilio adjutus Dei,
 usque in hodiernum diem sto, testificans minori, atque ma-
 jori, NIHIL EXTRA DICENS, QUAM EA, QUÆ Pro-
 pheta locuti sunt futura esse, & Moses. Paulinum igitur Ev-
 angelium Mosaicum est, & Mosaicum Evangelium Paulinum
 est. (g) Unum, & Eundem tantum esse Mediatorem Chri-
 stum Jesum, quia sicut Unus est Deus, ita pariter unus est Me-
 diator Dei, & hominum, Homo Christus Jesus, qui dedit se-
 metipsum precium redemptionis pro omnibus, I. Tim. II. 5. 6.
 (h) Unam esse fidem, sicut à primis temporibus ad Novum
 Testamentum usque, vel Apostolorum præconium, Apostolus
 insigni Catalogo luculenter ostendit, Hebr. XI. 1. seqq. (i)
 Unam esse Dei Gratiam, sicut in primo Concilio Catholico

Hiero-

Hierosolymorum Apostoli communi consensu docuerunt, & constituerunt, Act. XV. ii. quod per *Eandem Gratiam* Domini *Jesu Christi* credamus *salvari*, quemadmodum & illi, scil. fideles V. T. Hinc *Paulo*, Tit. II. ii. ἡ χάρις, ἡ δωρεὰ, *Gratia salutifera* dicitur apparuisse, in universum OMNIBUS HOMINIBUS. (k) *Unam* esse, & eandem *salutem*, in *Christo* fundatam, nim. quoad omnes homines *Judeos*, & *Gentes*, sicut *Deus Pater Messis* dicit, *Esa. XLIX. 6.* Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus *Jacob*, & desolationes *Israel* convertendas: *ECCE*, dedi te in lumen *Gentium*, ut sis *SALUS* mea usq; ad extremum terre: hinc *Salvator* dicitur *OMNIUM* *Hominum*, *I. Tim. IV. 10.* Conjungit hæc, & alia, *Paulus*, *Epb. IV.* ad omnimodam *Unitatem*, & *identitatem*, scribens v. 3, seqq. *Solliciti servare Unitatem Spiritus* in vinculo *pacis*: *Unum corpus*, & *Unus Spiritus*, sicut & *vocati estis* in *Una spe* *Vocationis vestre*, *Unus Dominus*, *Una Fides*, *Unum Baptisma*, *Unus Deus*, & *Pater omnium*, *qui super omnes*, & *per omnes*, & *in omnibus* *Vobis*.

10. Ut igitur ad *Caput cause* nunc progrediamur, totum *Apostolicum Symbolum* ex *Gen. III.* quod *prima* sedes est *Christi*, vel *ejus Meriti*, sicut & *Evangelici Verbi*, pariterq; *Vera fidei*, cum primis autem *Justificationis*, & *salutis*, quoad *Doctrinae substantiam* pie scrutabimur, & *fidei Christianæ Basin primam*, ex *primis revelationibus divinis*, meditabimur.

11. Non autem operosius de *Symboli Nostri distributione*, varias *sententias* curiose *cumulabimus*; multo minus ex *hypothesi* satis *incerta*, & quoad *historicam Veritatem* nulla, *duodenariam computationem*, juxta *numerum Apostolorum*, attendemus, sed potius simpliciter in *Ecclesiastica*, vel *Catechetica rudiorum Oeconomia*, subsistemus, & totum *Apostolicum Symbolum*, in *tres principales Articulos*, juxta *tres Deitatis personas*, *Patrem*, *Filium*, & *Spiritum S.* & jux-

& juxta tria Cardinalia, Creationis, Redemptionis, & Sanctificationis Opera, vel etiam juxta Symbolum Authenticum, Matth. XXII. 19. vere Baptismale, seu fundamentale, quod est Seminarium, & principium Apostolici Symboli, dispelcemus.

12. Hoc igitur modo Symbolum Apostolicum tres principales partes, vel Articulos, complectitur: I. Articulus de Deo Patre, vel Opere Creationis. II. Articulus de Deo Filio, vel Opere Redemptionis. III. Articulus de Spiritu Sancto, vel Opere Sanctificationis. Caput Tertium Geneseos, tanquam Summarium, vel Compendium Totius Theologiae Christianae, vel etiam Apostolici Symboli, non tantum Eadem Doctrinalia Capita, sed etiam eundem Ordinem Capitum observat, quem Apostolicum Symbolum indicat.

12. Nam Primus Articulus est Operis Creationis, in Apostolico Symbolo, quem Geneseos Tertium Caput à v. 1. ad 14. persequitur: Secundus Articulus est Redemptionis Operis, quod loco medio traditur in Symbolo, nec in alio reperitur apud Mosen, in hoc Cap. Tertio, v. 15. Postremus Articulus agit de Sanctificationis Opere, quod itidem in loco primitivo Mosaico postremo loco declaratur, v. 16. usque ad finem. Sic & Harmoniam cernimus (a) quoad Materiam, seu Doctrinam: (b) quoad formam externam, vel Ordinatam ουσιας φίας: addimus (c) Harmoniam, quoad Efficientem Causam, quae dicitur eadē utrobique, nulla ratione Diversa; nec ratione Cause principalis, Jehova Elohim, Dominus Deus; nec ratione cause instrumentalis, Verbum Evangelij, divinitus revelatum: nec ratione Cause Ministerialis, quae Gen. III. 20. Adam Patriarcha, Doctor primus, & Patriarcha sequentes, Doctores successores; sed in Novo Testamento tum Apostoli, tum ipsorum successores: (d) ratione finis, quae tam est fides, dum in Apostolico Symbolo, ceu practico, quodam Objecto, fides primo loco ponitur, in Verbo

Verbo *Credo*, sed Gen. III. per totum Caput spargitur : & hunc sequitur *finis ultimus Æterna vita*, sive *salus*, quæ *finis fidei*, I. Petr. I. 9. dum Protoplasti *salutem, & vitam eternam* sunt consecuti, v. 20. in *vita post mortem*, v. 19. Et *Apostolicam Symbolum*, quoad omnem doctrinam, in æterna vita terminatur, dum anima fidelis *vitam eternam*, secundum *Epilogum*, credere tenetur.

13. Quod igitur nunc attinet *Articulum I.* notat ille (I) *Generalia*, quæ, sicut in *Præctis* fieri consuevit, notant (A) *Generale Christianæ, vel Apostolicæ Doctrinæ Subjectum*: *Credo*, scil. *Ego*, Germanice, *Ich glaube* : nim. quilibet peccator convertendus, & ad *Deum*, mediante *verbo*, per *pœnitentiam, & fidem*, reductus. Talis erat *Pater Adam*, nim. peccator, quoad lapsum, v. 6. *pœnitens*, v. 9. seqq. & ad *Deum* per *Evangelii verbum* in fide *revertens*, v. 15. & *Eva*, quæ primum peccandi fecerat initium, v. 3. seqq. sed cum *Adamo* quoque veram pœnitentiam agebat, & in *Deum Trinum* vera fide credebat.

14. (B) *Generale Christianæ, vel Apostolicæ Doctrinæ medium*, quod est vera fides : *Hæc autem scripta sunt, ut credamus, & credentes vitam eternam habeamus*, Job. XX. 31. *Adam, & Eva*, fidem veram susceperunt, (1) *ex principio fidei*, quod est *Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Jehovah Elobim*, v. 9. seqq. (2) *ex medio fidei*, quod est *verbum Evangelii*, de *Christo*, vel *Semine mulieris*, sicut disertis verbis *Evangelium* dicitur *verbum fidei*, Rom. X. 8. imò *potentia Dei ad salutem omni credenti*, Rom. I. 16. Jam *protoplastis primum Evangelium* promulgatum est, Gen. III. 15. Et sicut alias dicitur, quod vera fides *tribus* consistit, sive *gradibus*, sive *partibus*; (a) *notitia*, qua *Deum, ejusque verbum, & salutiferum hujus objectum, vel mysteria salutis*, vere cognoscimus. (b) *assensus*, quo *verum, certum, &*

C

fir.

firmum assensum his præbemus, nec ullum dubium de talibus, mente, vel corde, fovemus: (c) *fiducia*, qua cuncta *fiducialiter* apprehendimus, ea nobis firmiter appropriamus, & tuto finaliter in iis acquiescimus: sic omnes istos *Gradus* in *protoplastis* conspiciamus: partim *notitiam*, quia *Spiritus Dei* talem, in *cordibus*, vel *mentibus*, *protoplastorum*, *lucem*, per *Evangelij verbum*, accendit, ut *mysteria summa*, maxime *difficilia*, nunquam *audita*, & tantum *primum revelata*, statim intelligant, & *simpliciter* cognoscant: tanta siquidem *notitia* per *illuminationem Spiritus*, & lucidissimū *verbū*, in ipsis confestim oritur, ut ne quidem ullam *interrogationem* instituere necessum habeant. *Dei dictum*, *Protoplastorum scitum*: partim *assensum*, quia nullum dubium mente concipiunt, nullum scrupulum cordi ponunt, sed in omnibus, à Deo revelatis, *mysterijs* purissimum, & firmissimum assensum alunt: partim *fiduciam*, quia *tanta per verbum fidei*, quod est *Evangelij*, Rom. X. 8. & *Spiritus Dei*, qui *Spiritus fidei*, II. Cor. IV. 13. in *cordibus* suis *fiduciā* inveniunt, ut toti toti firmiter in *Deo*, per, & propter *Messiam*, acquiescere, simulque *Satanæ*, *peccato*, *cunctisq; malis*, nuncium mittere, penitusq; per *fiduciæ* constantiam eis valedicere, Deo vero, vel etiam *Messie*, semper adhærere possint.

15. (C) *Generalem Christianæ, vel Apostolicæ Doctrinæ scopum*, qui *Deus Trinus* est. Nam *Symbolum Apostolicū* tradit *Deum*, tanquam *objectum primum*, & *primarium fidei*, tanquam *scopum primum*, & *primarium*, tanquam *fundamentum primum*, & *primarium*, & *Credo*, seu *fidei Christianæ*. *Symbolum Adamicum* pariter *Deum* offert, ut *primum*, & *primarium objectum*, ad quod *πρώτως* dirigitur, cum semper unicè *Deus Protoplastis* reversuris, & credituris, loquatur, adeoque nullum aliud *Objectum* audiebant, nec ullum aliud, nisi loquentem *Deū*, apprehendebant; ut *primum*, & *pri-*

primarium scopum, dum *uónos* ad Deum, Deiq; regnum, omnia tendunt, quamprimum, per divinam vocationem, serpentem, ejus mendacium, & regnum, deserunt; ut primum & primarium fundamentum, sine quo novi tirones religionis, primi catechumeni, rudiores doctrinæ cælestis discipuli, nullatenus vel consistere, vel subsistere potuissent.

16. *Apostolicum* vero *Symbolum*, & *Naturam*, & *Attributa*, & *Opera*, Dei confitetur. Quoad *Naturam* non promiscue quemvis Deum, aut multos *Gentilium* Deos, sed tantum *Unicum* tradit, quando sic incipit: *Credo in Deum*: Nam *Unus* hic *Deus* indicatur (1) propter *singularem Numerum*, quia *Singularis* est unius indicativus, sicut *Pluralis* multitudinis est indicium. (2) propter *authenticum*, *veraque* *divinum* *fundamentum*, quia *Confessio* hæc *Christianorum* ex *Mattb. XXIX. 19.* *authenticum* *Symbolo* *baptismali*, *petita*, ubi saltem unius *Nominis* *mentio* *fit*, quod *Nomen* *Unitatis* *Dei* *nota*, sicut alibi sæpius est demonstratum. (3) propter *Ecclesiasticum* *Commentarium*, quia *Symbolum* *Nicenum* statim in *Ecclesia* *Dei* *Nomen* *sic* *de* *Uno* *Deo* *luculenter* *exposuit*: *Credo in UNUM Deum*. Sic etiam *Symbolum* *Adamicum* unum ex *creatione* *vidit* *Jehovam*, *Gen. II. 7.* unum ex *conversazione*, *variorumq;* *beneficiorum* *multiplicatione*, *cognovit* *Jehovam*, *v. 8. seqq.* unum, denique, per *vocationem* *post* *lapsum* *novam*, tantum *credidit* *Jehovam*, *v. 8. seqq.*

17. Præterea *Symbolum* *Apostolicum* non credit *Unum* *absolute* *Deum*, qui *simpliciter* *sic* *unus*, *sensu* *Philosophico*, sed potius, qui *vere* *sit* *Trinus*, *sensu* *Biblico*, vel *Theologico*, quia *disertis* *verbis* *respicit* *Trinitatem*, & hunc *Unum* *Deum* *confitetur*, *Patrem*, *Filium*, & *Spiritum* *Sanctum*, quia, *juxta* *Symbolum* *Athanasianum*, *Catholica* *Fides* *hæc* *est*: *ut* *Unum* *Deum* *in* *Trinitate*, & *Trinitatem* *in* *Unitate*,

veneremur, quod iterum confirmatur (1) ex authentico or-
tu, quia presens Symbolum est uberior expositio, vel extensio
Symboli Baptismalis, Matth. XXII. 19. ubi baptisari jube-
mur, in Nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Jam qua-
lis baptismus, & regeneratio, talis etiam fidei nostræ condi-
tio: Si Baptizamur in Nomine Patris, Filij, & Spiritus S.
necessario quoque Credere debemus in Patrem, Filium, &
Spiritum Sanctum. (2) ex Symbolico textu, quia nomen
Dei per tres Articulos de Patre, Filio, & Spiritu S. declara-
tur, cum primus agat de Deo Patre, secundus, de Deo Filio,
tertius, de Deo Spiritu Sancto. (3) ex Symboli hujus eventu,
quia cunctis seculis per SS. Trinitatem Symbolum Apostoli-
cum in reliquis Symbolis ita fuit declaratum, hac vice sal-
tem primarium Ecclesiarum Lutheranarum Symbolum, Au-
gustanam Confessionem, producimus Art. 1. Decretum Nicenæ
Synodi (consequenter etiam Apostolici Symboli,) de Uni-
tate Essentia divina, & de tribus personis, verum, & sine ulla
dubitatione credendum esse, videlicet, quod sit una Essentia
divina, que appellatur, & est Deus aternus, incorporeus, im-
partibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate, Creator, &
Conservator, omnium rerum visibilium, & invisibilium. & ta-
men tres sint persone, ejusdem essentia, & potentia, & coa-
ternæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Sic etiam cum
Apostolis eandem Adamus Doctrinam cognovit, & credidit
in nomine Etohim, quod multis modis, tum ex Cap. I. tum
ex II. tum ex III. demonstrare possemus, nisi jam illud sæ-
pius esset factum. Ex sequenti vero Tractatione nostra
distinctorum Articulorum illud etiam erit evidentissimum;
hic plura non adjicimus.

18. Quoad Attributa Dei Symbolum Apostolicum, &
Attributorum Existentiam, & Essentiam, & differentiam,
luculenter satis ostendit, sed Omnipotentiam solam intro-
ducit,

ducit, ut ex hoc simili de reliquis simile fieret iudicium. Nec aliud ex *Adamico Symbolo* colligitur: quemadmodum illud prolixè demonstrare foret in proclivi, sed illud modo dimittimus: hoc unicum saltem adducimus, quod *Omnipotencia Dei*, cuius expresse fit in *Apostolico Symbolo* mentio, per totum *Caput III. Genes.* locupletissima cernat documenta. Sed hoc modo prosequi non possumus.

19. Denique, quoad *Opera*, solum equidem *Opus Creationis* adducitur, quod Deus sit *Creator cæli, & terra*; sed ex hoc primo de reliquis omnibus, *Creationem* sequentibus, fieri potest, & debet iudicium, atque iudicium, cum primum in quolibet ordine sit *principium, artificium, & norma*, sequentium. Et certe negari non potest, quod in *Adami Symbolo*, *Gen. III.* plurima *Deitatis Opera* reperiantur, & hominibus proponantur, sicut itidem ex seqq. apparebit.

20. Nos potius pergimus II. ad *Specialia*, quæ *distinctis in Articulis* specialiter, tum *Deum Patrem*, tum *Deum Filium*, tum *Deum Spiritum Sanctum*, concernunt, ut *Apostolici Symboli consonantia*, cum *Adamico Symbolo*, *doctrinalis* cunctis evidenter innotescat.

21. De *Deo Patre* notat *Apostolicum Symbolum* I. *Ipsam Patrem*. II. *Ejus proprium characterem*. III. *Propriam Ejus operationem*: *primum* indicat *subjectum proprium*, *alterum* proprium *attributum*, *tertium* proprium *effectum*; de *primo* dicitur, *Credo in Deum PATREM*; de *secundo*, *Patrem Omnipotentem*; de *tertio*, *Creatorem cæli, & terræ*; *primum* dat *esse*, *secundum* *distingui*, *tertium* *operari*. &c.

22. Notamus autem de *Deo Patre*, quoad *Symbolum Apostolicum* (1) *Patriis Veritatem, & Existentiam*, quod in *Trinitate* *revera Pater existat*, quod prolixè demonstrari posset (1) *ex appellatione*, quia *Pater* dicitur, (2) *ex Patriis*

conditione, quia Pater est: Pater autem non esset, nisi realiter existeret. (3) *ex Patris relatione*, quia refertur, ut Pater, ad Filium, quod Existentiā Patris necessario requirit. (4) *ex Patris ordinatione*. (5) *ex Patris Fide*. (6) *ex Patris Confessione*. &c. Hæc Existentiā Patris itidem in *Adamico Symbolo* quam certissima, tum quoad Existentiā spirantis, Gen. I. 2. tum quoad Existentiā Dicentis, v. 3. tum quoad Existentiā consultantis, v. 26. tum quoad Existentiā decernentis, ibid. tum quoad Existentiā creantis, v. 27. tum quoad Existentiā Creationem consummantis, c. II. 1. 2. tum quoad Existentiā deambulantis, c. III. 8. tum quoad Existentiā curam omnē, instar Patris, suscipientis; tum quoad Existentiā paternam curam providentis; tum quoad Existentiā Patris commiserantis; tum quoad Existentiā Filiū promittentis. &c. Hæc omnia Patris Existentiā demonstrantia prolixè declarari possent, ex Gen. III. si modo nostri foret instituti.

23. (II) *Patris Quidditatem*, vel *Essentiam*, sic Pater *Verus Deus* est, quod in *Apostolico Symbolo* probatur, (1) *ex vero Nomine*, quia Deus immediate dicitur Pater. (2) *ex vero pariter nomine*, quia non tantum dicitur, sed etiam est *verus Deus*. (3) *ex vere divina personalitate*, quia tanquam persona divina producit: persona vero divina necessario præsupponit divinam Naturam. (4) *ex divina proprietate*, quia dicitur *Omnipotens Pater*; *Omnipotentia*, vero solius Dei proprium. (5) *ex divino opere*, quia vere dicitur *Creator Cœli, & terræ*: solus autem Deus est *Creator*. (6) *ex vera fide*, quia credimus in Patrem: jam autem in solum Deum credere debemus, prout *Decalogi præceptum primum* docet, &c. Talis etiam est in *Adami Symbolo Patris Essentia*, hoc est *vere divina*, (1) quia dicitur *Jehova*, v. 8. quod est *essentiale Dei Nomen*, soli Deo proprium: posito proprio Nomine, proprie ponitur res ipsa, vel

vel ipsamet essentia. (2) quia revera, tanquam *Jehova*, semper introducitur, ut *אלהים* talis sit, hoc est *verus Deus*. (3) quia tanquam *persona divina* protoplastis appropinquat, obambulat, loquitur, auditur, &c. *divina persona* sic *divinam Naturam* confirmat, & *Patrem verum Deum* demonstrat. (4) quia *Pater* hic vere producitur, ut *omnipotens*, super omnes creaturas, v. 1. super omnes malos *Angelos*, v. 14. super omnes *homines*, v. 8. seqq. (5) quia *Pater* hic est *Creator* omnium animalium, v. 1. consequenter omnium creaturarum: Imo tanquam *Legislator*, *Examinator*, *Judex*, & *Vindex* &c. producitur. (6) quia *Protoplasti* verq; crediderunt in hunc *Patrem*, non tantum, ut *Creatorem*, sed etiam ut *Conservatorem*, *Gubernatorem*, *Commiseratorem*, *Redemptorem*, &c.

24. (III) *Patris personalitatem*, vel *subsistentiam*, quia *Pater* in *Apostolico Symbolo* proponitur, ut *subsistens*, *vivum*, *individuum*, *intelligens*, *incommunicabile*, *personaliter non sustentatum ab alio*, quæ nolumus hic pluribus adducere: sic etiam *Adam* *audivit*, & *cognovit Patrem*, ut vere *subsistentem*, dum *obambulavit*; ut *vivum* non modo, sed etiam ut *vivificum*, qui *vitam* non tantum antea per *creationem* dederat, sed nunc etiam ex *morte peccatoribus* eam *restituerebat*; ut *intelligentem*, qui *sapienter loquebatur*, *bona Messia pollicebatur*, *judicium exequerebatur*, &c. ut *incommunicabilem* etiam, quia, juxta *fidem Adamicam*, ita *spirabat*, ut non esset *spiratus*, *Gen. I. 2.* ita dicebat, ut non esset *dictum*, seu *Verbum*, v. 3. ita *creationem consummabat*, *Gen. II. 1. 2.* ut neque *Benedictionis* esset *Orator Elohim*, v. 3. neque *tertius Elohim sanctificator*, v. 3. ita c. III. *deambulabat*, ut nec esset *λόγος sonans*, vel *predicans*, neque *Spiritus Dei*, *spirans*, & *illuminans*, &c. & hinc *personaliter non alius persona*, nec ab alio, sed *à seipso personaliter sustentabatur*.

25. (IV) *Patris Proprietatem, vel propriam Competentiam*, nim. *Omnipotentiam*, quæ Patri peculiariter in Apostolico Symbolo tribuitur, sicut ex clarissima litera patet. Nam, juxta nonnullorum sententiam, *Patri* propria dicitur *Divina Potentia*, vel *Omnipotentia*, characteris instar, non tantum propter alia, sed etiam propter omnipotentissimam creaturarum universalium, & singularium productionem, quæ suo modo *Patri* propria dicitur, juxta *Symbolum Apostolicum*: sicut *Filio* *sapientia* tribuitur in *Articulo secundo*, *Spiritui Sancto Bonitas*: Nam *Deus Creator Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, in opere *Creationis* omnia potenter, sapienter, & bene, seu convenienter, revera produxit: postea peculiari ratione *Deus Trinus* hasce proprietates, quoad singulas personas, accuratissima ratione prudenter appropriavit, ut *Patri* peculiariter *Potentia*, *Filio* *Sapientia*, *Spiritui Sancto Bonitas*, & amor, competeret. *Jehova Pater*, ut alia taceamus, ex *Gen. I. & II.* suam *Omnipotentiam* manifestavit, (a) in potentissima creaturarum productione, c. III. I. (b) in potentissima conservatione, v. 8. seqq. (c) in potentissima permissione, cum serpenti calliditatis abusum, & hominibus lapsum, permetteret. (d) in potentissima remediorum lapsus constitutione. (e) in potentissima peccatoris revocatione, v. 8. (f) in potentissima Legis stabilitione, contra lapsos *Diabulos, & Homines*. (g) in potentissima peccatoris transmutatione, dum ex *Filio Diaboli* fit *Filius Dei*, ex *Sataniano Messianus*, ex injusto justus, ex maledicto *Benedictus*, ex damnato salvatus, ex inglorio, glorificatus. &c.

26. (V) *Patris operationem, vel Efficientiam*, quia *Pater* dicitur *Creator Cæli, & terræ*, juxta textum *Apostolici Symboli*, quod etiam reliqua *Symbola Militantis Ecclesiæ* confitentur, nec hic plura nunc addimus, quia tum hæc, tum alia præcedentia, cum sequentibus, prolixius in *Explicat.*

Sym-

Symbol. Apostoli, juxta scripturam, deduximus. *Adamus* etiam, in *Symbolo* suo, *Patrem*, ut *Creatorem*, cognovit, & quidem (1) ut *Creatorem Cæli, & terra*, Gen. I. 1. seqq. (2) ut *Consummatorem Cæli, & terra*, c. II. 1. 2. (3) ut *factorem omnium animalium, & reliquarum etiam Creaturarum*, quia disertis verbis reliquis *Dogmatibus* *Symboli* præmittitur, hoc, quod *serpens fuerit callidior cunctis Animalibus terra, quæ FECERAT JEHOVA EEOHIM*, nim. *Pater*, qui, tanquam *prima persona Deitatis*, vel *Creatoris*, peculiariter, & personaliter hic attenditur.

27. Ubi præterea dicitur observandum, quod, juxta *Symbolum Apostolicum*, *Pater* non ita nude *Creator Cæli, & terra*, dicatur, sed sub *Creatoris* *Nomine* pariter *Conservatoris, Gubernatoris, Cooperatoris, Permissoris, Ordinatoris, Reparatoris, &c.* *fides* eidem adscribatur; imo cuncta, quæ, juxta scripturam, & orthodoxam *Theologiam*, inter *Creationem, & Redemptionem*, interjacent, *Christianæ religionis dogmata*, revera, juxta *Dei verbum, & symbolicam Theologiam*, ad *Patrem* referuntur. Prolixius illa, tum declarari, tum demonstrari possent, sed *Disputationi* præscriptæ breviores pagellæ, neutiquam ista modo capiunt. Hinc saltem aliqua delibabimus, & ad nostrum institutum accommodabimus, ita tamen ut de singulis breviter nonnulla, juxta *Symbolum Adamicum*, producemus.

28. Sub *Nomine Creatoris* igitur continetur, (1) *Patris Conservatio*, dum in ipso vivunt, moventur, & sunt omnia, Act. XVII. 28. sic *Adamus* ex *Symbolo* suo cognovit, quod in *Patre* vivant *Angeli, cum Hominibus, bruta, cum vegetabilibus*; quod in primis ex c. II, & III. didicerat: in *Patre* quoque movebantur *Sol, Luna, cum omnibus sideribus*, c. I. 1. 6. 8. c. II. 1. 2. & tunc erant *Cælum, terra, cum aliis*,

29. (2) *Gubernatio*, dum ipse *Creator* passim *Dominus*

D

Domi-

Dominator appellatur, Psal. II. 2. Sic *Adam* nullum etiam aliam *Gubernatorem* credidit, præter Deum Creatorem, tum *ratione sui*, c. II. 8. 15. seqq. tum *ratione reliquarum Creaturarum*, c. II. 19. ubi Deus *Pater* omnia terræ *animantia* dicitur adduxisse *Adamo*, ut illarum naturas cognosceret, dominium super ea loco Dei susciperet; & unicuique conveniens *Nomen* imponeret: tum *ratione totius mundi*, quia totius mundi, vel cœli, terræque, non tantum *Consummator*, sed etiam *Gubernator* est, c. II. 1. 2.

30. (3) *Legislatio*, vel *Hominis Obligatio*: nam quia per creationem innumerabilia *beneficia* Deus productis hominibus concesserat, (propter *beneficia* vero debentur *officia*, vel *obsequia*,) certis *legibus* quoque Creator, in primis hominem gubernare, vel obligare voluit; & non tantum *legem* suam mentibus hominum per creationem, quoad naturam rationalem, *inscripsit*, sed etiam eandem *legem*, quoad omnia præcepta, compendioso statuto quodam, intimavit, & quoad *prescriptionem*, promulgavit, Gen. II. 17. quod tum *Adam*, tum *Eva*, planissime, perfectissimeque, perspectum habuerunt, sicut ex Cap. III. 2. seqq. est manifestum.

31. (4) *Cooperatio*, quia *Symbolum Apostolicum* Patrem, ut verè *Patrem*, & *causam Primam*, in operationibus causarum secundarum confitetur, ex illo Job. V. 17. *Pater meus usq; modo semper operatur, & Ego operor*. Et *Adamus* hoc firmiter in *Symbolo suo* credidit, quia sine Deo nec hortum ingrediebat, nec ejus culturam auspicabatur, Gen. II. 8. 15. adeoque *vegetabilium*, & cognitionem, & operationem, ab hoc *Jehova* præstolabatur. Præterea, nec sine hoc *Jehova*, tum *contemplationem*, tum *Gubernationem*, tum *denominationem* animalium inchoare conabatur, v. 19. 20. nec sine hoc *Jehova*, ceu *causa prima*, conjugem expectabat, acceptabat, & in consortium vitæ cooptabat, v. 22. 23. 24. & sic in omnibus à *causa prima*, cum primis in observatione promulgatæ *legis*, unice dependebat, & dependere volebat.

§. 32. (5)

32. (5) *Permissio*: nam Deus, sicut *Pater* benevolus, & beneficus, in omnibus *bonis* cooperatur, ita quidem, ut homo nihil mente cogitare, nisi quod Deus objiciat, nihil voluntate desiderare, nisi quod Deus offerat, nihil sua libertate determinare, nisi quod Deus definiat, nihil exterius operari velit, nisi quod Deus sua *cooperatione* promoveat: ita pariter, in omnibus malis Deus neq; cooperari vult, propter *voluntatem* optimam, neque potest, propter *activitatem* justissimam, & sanctissimam: interim dum creatura rationalis, contra divinæ *cooperationis* rectissimum *influxum*, *motibus*, & *actionibus*, naturaliter bonis, moraliter abutitur, & optimo divino concursui contranitur, Deus pro sua *sapientia* mala permittit, & sic peccatum originem suam trahit. *Adam* hoc in *Symbolo* suo satis perspectum habuit, dum *cooperationem* divinam ipsemet hactenus senserat, & per eandem omne suum opus in *Ecclesiasticis*, *Botanicis*, *Zoologicis*, & aliis fecerat, C. II. 15. seqq. & *legi*, v. 17. promulgatæ, rectis obsequiis hactenus obedierat; sed nunc à *Conjuge*, per *serpentem seductâ*, vel *confusâ*, blandis verbis persuasus, à rectitudine motuum, & actuum, defecerat; quod Deus *Creator*, & *Cooperator*, non impediverat, sed ei, tanquam ingrato bonorum divinorum possessori, lapsum *permiserat*; inde *rubor*, & *pudor*, *terror*, & *tremor*, *pavor*, & *horror*, cum aliis malis, divinam *permissionem*, & divinæ *cooperationis* neglectum, contemptum, & abusum, apud Adamum cumulatissimè sequebantur.

33. (6) *Toleratio*, vel *Tolerantia*, quæ *Permissionem* sequitur, quæ rigorose tamen loquendo non sunt *actiones*, dum *permissio* divina creaturas, ad malum properantes, nō impedit, sed eas sibi relinquit, aut etiam Satanæ suggestionibus, tentationibus, & seductionibus, permittit; sed *Tolerantia* divina fontes nō *punit*, nec *perdit*, sicut tunc Deus, secundū *potentiam* suam, valebat, secundū *justitiam* debebat, & secundū *comminationum veracitatē*, volebat; sed *tolerando sustinet*, & *sustinendo patienter tolet*. *Adamus* mali conscius, ut *judicii*, vel *exitii Candidatus*, fugiebat, & stulte Deum *πρωτόπλην* vitare, vel se coram eodē occultare, *πρόδικον* effugere, vel *justitiæ* supplicia nequiter eludere, vel *πρωτόδύναμον* cohibere, vel ejus *vin-*

dictam repellere volebat. Vocatus autem, & revocatus è latibus, immeritam Dei tolerantiam, & pœnarum suspensionem, sine difficultate cognoscebat.

34. (7) *Commiseratio*, quæ Patri toleranti propria, dum non nisi per *Commiserationem* malos tolerat, & de remediis malorum, atque mediis restituendorum bonorum, cogitat, & consilia pacis agit. Sic enim cœlestis Pater de Principiis, & Mediis salutis, quoad restituendum genus humanum, maxime fuit sollicitus, Filium in Redemptorem, & novæ salutis acquisitionem, & Spiritum S. in acquisitione salutis applicationem, ablegando, & hominibus destinando: *Symbolum Apostolicum* hoc indicat, dum Patrem Misericordissimum introducit, qui per misericordiam respicit, & ad Filium Redemptorē, juxta secundum, & Spiritum S. Sanctificatorem, juxta tertium *Articulum*. Et Adam cognovit Jehovaham Elobim, ut Patrem misericordissimum, mittentem Vocem sonantem, & λόγος prædicantem, Heroem, Serpentis Caput conterrentē, peccata pro lapsis suscipientem, & mortem, atque pœnas, sustinentem, & vere pro peccatoribus satisfaciētem: & Spiritum Sanctum, tanquam corda moventem, Dei gratiam inspirantem, fidem per verbum accendentem, & spiritualis applicationis opus in omnibus perficientem.

35. Hæc de *Symbolo Protoplasti*, quoad *Articulum Primum*, sufficiant, ad *Secundum Ordinem* progredimur, & Deum Filium, Redemptorem, nostris meditationibus aggredimur. In *Articulo II.* reperimus, quoad *Apostolicum Symbolum*, (I) *Christi Redemptoris Onomatbesian.* (II) *Christi Redemptoris Personam.* (III) *Christi Redemptoris Spartam.* (IV) *Christi Redemptoris*, quoad varium Statum, *Oeconomian.* vel *Ergasian.* Vid. *Explicat. Symb. Apost.* ubi à *Disput. XI. ad XXIV.* hæc plenius exposita.

36. *Onomatbesian* quod attinet, multa de *Nominibus Apostolici Symboli* moneri possent. Vid. *Disput. XI.* per totam. Hic saltem adducimus, quod introducantur. *Nomina Redemptoris*, quoad *Personam*, quia dicitur. (1) *Jesus*, (2) *Christus*: & quoad *Essentiam*, sic quoad divinam *Essentiam* dicitur *Unicus Dei Filius*, & quoad *Humanam Essentiam*, non dicitur *Homo*, seu *Filius Hominis*, interim & ut *Homo*, & ut *Filius Hominis* conceptus, & *Natus*, describitur:

Plura

Plura de *Nominibus Redemptoris* addere non libet. Secundum *Adamicum Symbolum* etiam adsunt *Nomina persona*, sicut & *Nomina Naturarum*. *Persona* Nomen est *Elohim*; sicut & *Vox*, & $\lambda\omicron\gamma\textcircled{\text{C}}$: *Naturæ Divinæ* Nomina sunt *Jehova Elohim*, Gen. III. 8. & IV. 1. simpliciter *Jehova*: sed quoad *Humanam Naturam* dicitur *Semen Mulieris*, c. III. 15. *Isch*, seu *Vir*, c. IV. 1. Nomen *Jesu* quidem, Gen. III. quoad *litteras*, non legitur: in *schola* tamen *Adamica*, vel etiam reliquorum *Patriarcharum*, non fuit inusitatum: primus eorum *Jacob*, c. XLIX. 18. illud, ad consignationem futuram, memoriae prodidit: sed quoad *sensum* etiam Gen. III. & IV. reperitur, quia *Semen mulieris*, ut *Jesus*, promittitur, quod *salvet* nos à *Serpente*, serpentisque *Capite*, quod *fecunda mater* erat peccatorum, v. 2. seqq. & *salvet* quoque nos à *scelere*, *sceleratique peccati morte*, per *vulneratum*; & *mortificatum calcaneum*, adeoque sit verus *Isch Jehovab*, vel *Jesus Salvator*. Sic & nomen *Christi*, Gen. III. $\rho\eta\tau\omega\varsigma$ non legitur, at *Semen mulieris* promissum, ut verus *Christus*, vel *Unctus*, *oleo gratia*, quia *plenus gratia*, Joh. I. 14. *justitia*, dum nobis à Deo factus *justitia*, I. Cor. I. 30. *Spiritu Sapientie*, & *intelligentia*, *consilii*, & *roboris*, sive *virtutis*, *scientia*, & *timoris Domini*, Esa. XI. 2. &c. quibus omnibus opus fuit in *conculcatione Capitis serpentis*, & *redemptione humani generis*. Et *primi parentes* sic facti sunt *primi Messiani*, vel *Christiani*, per *Christianorum fidem*, & *Symbolum Apostolicum*, sicut ex *præsenti tractatione* patebit. Vid. *Christianol. Disp. ult. de Primis Christianis, Adam, & Eva*.

37. Ab *Onomathefia* digredimur ad doctrinam de *Persona Christi*, quam *Apostolicum Symbolum*, & *abstracte* tradit, quando *Redemptorem* vocat *Dei Filium unicum*: & *concrete*, quando *Jesum*, & *Christum*, introducit. Vid. *Explic. Symbol. Apost.* ubi, juxta *contextum*, ordine de *Persona Christi* notavimus, (1) *Considerationem Materialem*, quoad *Unicus sit Filius, Deus, & Homo*, quoad *Divinam, & Humanam Naturam*, ubi *naturam utramque distinctis rationibus*, ex *Symbolo* satis confirmatum dedimus. (2) *Considerationem Formalem*, ubi declarata (a) *Doctrina de Persona Redemptoris Unitate*, p. 180 (b) *Doctrina de Personali Unione*, p. 181. (a) quoad *Ejus*

Causam Efficientem, p. 182. (β) quoad *Causam Materialem*, p. 182. 183.
 (γ) quoad *Causam formalem*, tum circa *Modum fiendi*, tum quoad
Modum Essendi, p. 183. (δ) quoad *causam finalem*, p. 184. ubi quo-
 que *personalis Unionis proprietates* enumeratae sunt, th. 14. (c) *Do-*
ctrinam de personali praedicatione, tum *quales non sint*, tum *qua-*
les sint, p. 184. seqq. (3) *Considerationem Finale*, ratione *persona-*
lis Communicationis, qua ratione *Symbolum Apostolicum*, tum *Com-*
municationem personae, tum *Communicationem Naturarum*, tum
Communicationem idiomatum, & quoad *primum Genus*, κοινωvία
 τῶν ἰδιωματῶν, & quoad *secundum*, κοινωvία τῶν ἀποτελεσμά-
 τῶν, & quoad *tertium*, κοινωvία τῶν ἀξιωματῶν, non obscurius
 indicat, sicut ex contextu prolixius id indicatum. *Symbolicum Ada-*
micum itidem haec *fundamenta Christologias* attendit, prout pro-
 lixe tum in *Festo Genethliaco*, ex Gen. III. 15. cum primis autem in
Adami Theol. Posit, Part. III. quoad *Christologian*, est demonstra-
 tum. Hac vice brevissimis laudata capita saltem attingemus. Nam
Adami Symbolum est *Apostolici Symboli* primum fundamentum. Sic
 ergo, praeter *Incarnationem*, quam *Conceptio cum Nativitate* nobis
 ostendunt, & in seqq. ea planius exponetur: adest hoc loco (1) *Ratio*
Materialis, in *Messie duabus Naturis*, nim. *Humana*, secundum
 quam *verus Homo*, *verum Semen mulieris*, c. III. 15. & *verus Vir*,
 c. IV. 1. nuncupatur: Et *divina*, secundum quam *Adamo Contritor*
Serpentini Capitis, c. III. 15. & *verus Jehova*, c. IV. 1. (2) *Ratio for-*
malis, quoad *unionem personalem*, sic quoad *modum fiendi*, *Messi-*
as, *Verbum*, sive *Dei Filius*, factus *Homo*, non est ex *virili*, sed ex *Mu-*
lieris Semine, v. 15. quoad *modum Essendi*, non est *nudus homo*, nu-
 dum *Semen Mulieris*, sed potius *Isch Jehova*, c. IV. 1. Ὁ σὸς ἐν θεῷ
 ἢ, vel *Ἀνθρώπος ἐν θεῷ*, in unitate personae, tantum unus *Messias*: quoad
modum inessendi, fuit *vera*, *propria*, *realis*, *intima*, *personalis*, haec
Unio, quae pluribus hic explicare, juxta contextum, nolumus. (3)
Ratione finalis, (a) quoad *Communicationem*, vel *praedicationem*
verbalem, quia *Symbolum Apostolicum* ostendit, tum *praedicationes*
Hypostaticas, ἁπλῶς, seu *Vir est Semen mulieris*, c. III. 8. 15. *Isch*
est Jehovab, c. IV. 1. tum *praedicationes Idiomaticas*, & quoad *pri-*
imum Genus, *Contritor Serpentis*, vel *Jehova*, per *morsum Serpen-*
tis,

ADAMI PROTOPLASTI.

tis, in calcaneo lesus, & vulneratus est, Semen mulieris, Caput Serpentis omnipotenter conculcavit: & quod κενωμένα των ἀποτελεσμάτων, Semen mulieris peccatores sua passione, & morte, redemit, c. III. 15. vel Jehova Deus proprio sanguine peccatores redemit, ut declaratur, Act. XX. 28. & quoad κενωμένα των ἀξιοματων, Semen mulieris est Heros, est Serpentis victor, Serpentis Triumphator, c. III. 15. est vere vivificum, & peccatorum vita, v. 20. justitia, vel remissio peccatorum, v. 21. (b) Quoad communicationem realem, quia cernimus, & credimus, cum Adamo (α) Communicationem Personae, quod Semen, seu Filius Mulieris, non sit per se persona, sed in Contritore Serpentis, una persona, ita quidem, ut neutiquam hic Jehova sit post incarnationem solus amplius persona, multo minus Iſch per se propriam personam constituat, sed potius per hypostaseos Jehovae communicationem in unitate personae subsistat. (2) Communicatio naturarum, quia Vir est Jehova per communicationem naturae divinae, sicut Jehova θεου ὁμοιωσις per communicationem humanae naturae. (3.) Communicatio Idionatum, cujus tria dicuntur esse genera, nim. (α) Communicatio proprietatum, dum Semini mulieris communicatur divina potentia, seu virtus, ut per hanc virtutem Caput Serpentinum contere, & omne malum tollere possit: Jehovae vero, seu Contritori Capitis Serpentinum, communicatur sanguis, ut hunc effundere, mortemque sustinere possit. (β) Communicatio Energematum, vel Operum, sic Jehova patitur, & moritur. (γ) Communicatio Majestatis, Semen mulieris ex contritione Serpentinum capitis victoria coronatur, & gloria.

38. Post Christi Redemptoris Personam Officium in Apostolico Symbolo collocatur, dum Noster Dominus appellatur. Est enim Dominus absolutus, tum ratione sui, quia Rex Regum, & Dominus Dominantium, Apoc. XVII. 14. XIX. 16. Dominus, & Rex aeternus, Psal. XCIII. 1. 3. Luc. I. 32. tum ratione Creaturarum omnium, quia regnum ejus dominatur super omnia, Psal. CIII. 19. Est etiam Dominus relativus, in applicatione, ad nos omnes peccatores, quia sibi sanguine suo proptio regnum, vel Ecclesiam acquisivit, Act. XX. 28. Dum nos e potestate Satanae redemit. Hinc Dominus Noster appellatur. Talis etiam introducit in Adami Symbolo, dum,

toll-

tanquam *Jehova*, verus *Dominus* est, & *hominum* quoque *Dominus* factus est, dum *inimicitias* nostras inter *Serpentem*, & *homines peccatores* suscepit, *bellum* contra *Diabolos* gessit, eorum *capita* suo *calcaneo* contrivit, & *miseros peccatores* ab eorum *tyrannide* liberavit, & in *regnum* suum, in primis sub *vexillo crucis* potentissime congregavit, & conservavit, v. 15. 16.

39. Est autem *Christus*, quoad *Apostolicum Symbolum* (1) *Dominus Prophetæ*, qui verbo dominatur super *Diabolum*, & *potestates* ejus, sicut in *paradiso*, tanquam *Dominus*, & *Principalis Prophetæ* suum officium, tanquam *Vox sonans*, *Predicans*, & *Evangelizans*, inchoavit, v. 8. per omnia *Secula Veteris Testamenti*, ministerio *Patriarcharum*, *Prophetarum*, & aliorum *Doctorum*, continuavit, in *Novo Testamento* vero *Minister Circumcisionis*, Rom. XV. 8. ipse factus, & in diebus *carnis* missus est ad *Judeos*, ut ipsis, tanquam *ovis perditis*, *Evangelium* prædicaret, *Es. LXI. 1. seq. Luc. IV. 18. seq.* illudq; multis *miraculis* confirmavit, *Matth. XV. 24.* Et tandem suos *Ministros*, tanquam *Legatos*, nimirum *Apostolos*, in univ. mundum ablegavit, ut ubique locorum creaturis *Evangelium* prædicarent, *Marc. XV. 15.* Sicut olim prædictum fuit: quod *Verbum suum cum magno*, vel etiam *multo*, det *Evangelistarum Exercitu*, *Psal. LXIIX. 12.* Et hac de causa tum in *V. T. Deut. XII. 18.* tum in *N. Testamento*, *Luc. VII. 11. Job. VI. 14.* dictus est *κατ' ἐξοχήν Prophetæ*, *Propheta Magnus*, & *verbis*, & *factis*, coram *Deo*, & *omni populo*, *Luc. XXIV. 19.*

40. (2) *Dominus Sacerdos*, quia *Sacerdos* est non *vulgaris*, secundum *ordinem Aaronis*, sed *singularis*, secundum *ordinem Melchisedeck*, in *æternum*. *Psal. CX. 4. Hebr. VII. 1. seqq.* Juxta *Symbolum Adamicum* mox hic *Dominus noster* introducitur, ut *magnum sacrificium*, qui pro totius *humani generis peccatis passus*, *crucifixus*, & *mortuus est*, dum *Agnus* erat, qui tollere debebat *peccata mundi*, *Joh. I. 29.* Nec aliud *Symbolum Adamicum* attestatur: licet enim ibi nominatenus neq; *Sacerdos*, neq; *sacrificium* dicatur, tamen ut *Sacerdos Summus*, & *Primus*, *Maximus*, & *Optimus*, pro *toplastis* apparuit, *sacerdotale munus* inchoavit, *ritus sacrificandi* manifestavit, & *Adamum* in *Sacerdotem* inter *homines primum*, &

Quum

suum vicarium, ordinavit: actu quoque pecudes mactavit, & sacrificavit, dum agnus occisus ab origine mundi fuit in typis suis, Apoc. XIII. 8. & pelles sacrificiales, ceu sacerdotales, in ornamentum peccatorum, ad vita, justitiæq; reconciliatoriam applicationem destinavit, Gen. III. 21. adeoque sic per typos istos sacrificiales magnū suum sacrificium, v. 15. promissum, quoad passionem, sanguinis effusionem, & mortis vicariam susceptionem, v. 15. repræsentavit.

41. (3) Dominus Rex, quoad Officium Regium: solus Deus per creationem erat Rex hominum, & Monarcha, sicut ex Gen. III. multis illud demonstrari posset: Diabolus autem, sub indumento serpentis, variis persuasionibus, & vanis promissionibus, variis tentationibus, & seductionibus, creatos homines ad Apostasiam sollicitaverat, malis artibus scopum suum impetraverat, ac dominium super homines inchoaverat, sed hoc dominium in meram tyrannidem commutaverat. Venit ergo Rex Messias, à Domino constitutus, Psal. II. 6. hominibus à Jehova Elobim patefactus, & promissus, Gen. III. 15. ita tamen, ut inimicitias primus adversus serpentem, & semen ejus susciperet, bellum cruentum adversus hostes istos gereret, & cruenta victoria caput serpentis contereret, captivos redimeret, in potestatem suam redigeret, regnum ex eis mysticum constitueret, & instar Regis, dominium omne feliciter inciperet, atque retineret. Hæc omnia fuerunt Protoplastis manifesta, qui pariter huic Regi se totos submittebant, Eum firma fide respiciebant, & instar Dominatoris eum possidebant, sicut hoc Eva disertis verbis profitetur, & confitetur, c. IV. 1. Possedi Virum Jehovah, Virum Dominum, Dominum Dominatorem, &c. Nec alium Apostolicum Symbolum Dominum intelligit, quando Dominum hunc vocat Nostrum Dominum, quia Noster est jure sanguinis, & cognationis, tanquam Dominus, & liberator Goel, qui liberat nos ab omnibus malis, Gen. XLIX. 16. jure constitutionis, dum à Patre constitutus est Dominus, & Rex, Ps. II. 6. jure belligerationis, Gen. III. 15. jure militaris acquisitionis, quia proprio suo sanguine nos acquisivit, Act. XX. 28. jure triumphalis defensionis, Gen. III. 15. Apoc. XII. 7. seqq. &c. Sicut hæc omnia contextus Apostolici Symboli luculenter ostendit.

42. Denique dulcissima datur Harmonia, quoad Oeconomiam,

E

dum

dum hoc *Officium* suum *Christus* non semper eodem modo fuit executus, sed varii *Status Oeconomian* adhibere voluit. *Apostolicum Symbolum*, tum *generatim*, tum *speciatim*, hanc exponit. *Generatim* duos *Status* ostendit, nim: *Exinanitionis*, ad quem pertinent priores *Gradus*, quod *Christus conceptus, natus, passus, crucifixus, mortuus, & sepultus sit*: & *Exaltationis*, ad quem referuntur reliqui *Gradus*, *Descensus ad inferos, Resurrectionis, Ascensionis, Sessionis ad Dextram Dei, & judicialis reversionis*, sicut plures, & pauciores duobus, in scriptura non inveniuntur, tum quoad *Testam. Veteris Propheticas predicationes*, tum quoad *gratiosas promissiones*, tum quoad *Typicas prefigurationes*, quastamen in presentia neutiquam deducere licet: tum *ratione N. Test.* quoad *historicas rerum gestarum relationem*, dum *Christus* primum venit, non ut sibi ministraretur, sed ut ipse potius *Ministraret*, & *antilytron pro multis fieret*, Matth. XX. 28. & quoad *Apostolicam doctrinam testificationem*, Conf. Phil. II. 5. seqq. I. Petr. III. 18. seqq. Tales etiam *Status Messie* statim in *paradiso* nostris *Protoplastis* ipsum *Protevangelium* manifestavit, nim: *Statum Exinanitionis*, quod *Serpens calcaneum* ejus sit veneno suo laesurus, & contriturus, & ipse suam *sanguinem* per hanc *vulnerationem* sit effusus, & per *acerbissimam passionem* sit *moriturus*: Et *Statum Exaltationis*, quod in *media morte victoriosè* sit *caput serpentis contriturus*, quia sicut *pueri communicant carni, & sanguini*, sic ipse quoque *particeps factus est iisdem*, ut per *mortem suam* destrueret eum, qui *mortis habebat imperium*, id est, *Diabolum*. Hebr. II. 14.

43. *Speciatim Symbolum Apostolicum*, quoad *Statum Exinanitionis*, primum omnium introducit, (1) *Gradum humilis Conceptionis*, quia *conceptus est à Spiritu Sancto*, nim. in *Maria Virgine*, sicut *Conceptionis historia* multis *Luc. I. 26. seqq.* describitur: quæ vere fuit *pauper, & humilis, & ignominiosa*, tum quia *Mater virgo pauperrima*, quæ tunc in possessione, vel nihil, vel parum habuit, tum quia *Filius conceptus ignominiosè pro spurio* fuit habitus, Matth. I. 19. Hæc *Conceptio* quoque revelata fuit *protoplastis* in *Symbolo primo*, dum *Semen Mulieri promissum*, non *Viro*, quæ vere *supernaturalis, & singularis* debebat esse *conceptio*, cum *naturalis* tum ex *mare*, tum ex *muli-*

muliere fieri debuerit : & quia non alius *movens*, Gen. III. 8. produ-
 citur, quam *Spiritus diei*, qui *movebat*, ut *Spiritus*, post lapsum *pro-*
toplastorum mentes, ut ignorantiam expellerent, & fidei notitiam
 reciperent; *eorum voluntates*, ut sponte Diabolum deserere, & per
 verbum ad Deum redire vellent; *eorum libertates*, ut sic, quoad
 mentem illuminati, quoad voluntatem gubernati, per Spiritus
 præsidium, & verbi subsidium, nova *libertate* Serpentem fugerent,
 & ad Deum se reciperent; *eorum aures*, vel *corda*, ut verbum audi-
 rent auribus, & custodirent cordibus; *eorum pedes*, ut è latebris in
 apricum ad Deum prodirent, &c. Sic etiam non inconvenienter
 huic *Motori Conceptionis motus, & opus*, attribuitur, cum primis quia
Spiritus diei, vel *lucis*, appellatur; per conceptionem autem hanc
Lux Mariæ ventrem ingrediebatur, & *lux* eadem toti mundo, vel om-
 nibus hominibus, in tenebris sedentibus, oriebatur. Es. IX. 1. LX. 1.
 quia *Messias* fuit *vera lux*, quæ omnem hominem, venientem in hunc
 mundum, illuminare debebat, & volebat, Joh. I. 4. 9.

44. (2) *Gradum humilis Nativitatis*, quia, secundum *Apostolo-*
licum Symbolum, Christus à Spiritu Sancto conceptus, ex *Maria Vir-*
gine natus est. Vid. *Explic. Symbol. Apostol.* p. 225 -- 240. Nec
 aliud intendit *Symbolum Adamicum*, tum quia conceptionis veri-
 tas tendit ad veritatem Nativitatis; tum quia Semen hoc, ceu perfe-
 ctum, introducitur; semen autem humanam suam perfectionem per
 nativitatem consequitur; tum quia semen hoc inimicitias contra Ser-
 pentem, & durissima bella gerit; quod alias hominibus non post con-
 ceptionem, sed post nativitatem, in ætate justa tribuitur; tum quia
calcaneus apertus ipsi disertis verbis adsignatur, quod proprium est
 non concepti, sed potius nati Seminis; tum quia per Semen mulieris
 homo perfectus intelligitur; tum quia robustus Isch dicitur, c. IV. 1.
 tum quia Semen hoc læsionem calcanei passum est, quod solis ho-
 minibus natis competit; tum quia Semen hoc calcaneo caput Ser-
 pentis conculcavit, quod itidem solis hominibus natis, & adultis,
 viribus integris præditis, appropriari potest.

45. (3) *Gradus Humilis Passionis*: nam, juxta *Symbolum Apo-*
stolicum, credimus, & confitemur, quod *Jesus Christus passus sit sub*
Pontio Pilato: nim. κατ' ἐξοχήν sub *Pontio Pilato* sic passus est; alias

autem tota Christi vita fuit passionis continua scbola, vel Palaestra. Passiones Christi coeperunt ante nativitatem, creverunt à nativitate, vel post nativitatem, & durarunt per omnem vitæ conversationem, sicut Evangelistarum historia tota luculenter evincit: maxime tamen circa finem commorationis bis in terris passiones multiplicatae sunt, quoad circumstantiã temporis, sub Pontio Pilato, Præsede Romanorũ, secundum Ecclesiasticum, vel Apostolicũ, hoc Symbolum. Adamicum Symbolũ equidem hanc temporis circumstantiam non attendit, cum in plenitudine temporis illa futura demum erant: ipsam tamen passionem multis indicat, tum per inimicitiarum positionem, quæ post se, vel semper, vel plerumque passiones trahunt; tum per pugnae contra Serpentem susceptionem, quæ vulnera, dolores, & passiones affert; tum per calcanei gravissimam læsionẽ; tum per mortis consecutionem; tum per membrorum, vel Messianorum imitationem, v. 16 seq. tum per Sacrificiorum immolationem, & repræsentationẽ, v. 21. &c.

46. (4) Gradus Humilis crucifixionis, quæ disertis verbis in Apostolico Symbolo ponitur, sed in Adamico Symbolo non ἀνεῳγε exponitur, attamen in sacrificiis ceremoniis multis indicata passim legitur. Testimonia veterum Rabbiorum, & aliorum Doctorum, hic adducere non licet, nec libet.

47. (5) Gradus Humilis mortis, quia dicitur in Apostolico Symbolo, quod credamus in Jesum Christum, vere mortuum. Hæc enim Mors Messie multis de causis ad redemptionem humani generis necessaria fuit. Hæc autẽ Messie Mors in Adamico Symbolo quoq; proposita, (1) ex divina mortis comminatione, c. II. 17. (2) ex ipsa peccatoris transgressione. c. III. 6. (3) ex iudicii divini rigore, v. 9. seqq. (4) ex Messie vicaria constitutione, v. 14. 15. (5) ex ipsa mortis predictione, v. 15. (6) ex mortis piorum immutatione, quia mors, v. 19. in vitam, v. 20. per Messiam est mutata. (7) ex Sacrificiorum, Messie typorum, maculatione, vel occisione. v. 21.

48. (6) Gradus Humilis Sepulturæ, quia Symbolum Apostolicum hoc gradu Statum Exinanitionis claudit, Et sepultus est. Sepultura Messie quidem explicitis verbis in Adamico Symbolo non producitur, certis tamen indiciis non obscurius introducitur; tum quia mors, & Sepulcrum, coherent; tum quia, sicut mortua membra,

bra, nim. Patriarchæ sepeliebantur, sic etiam Caput Messias convenienter sepeliri voluit; *tum* quia Messias non modo mystice sepultus est in verbo, quod ejus cubile dicitur, sed etiam in fide, sicut & in corde, vel etiam in cruce, fidelium, &c.

49. Ad Statum Exaltationis referuntur Gradus residui, nim. (1) Descensio ad inferos, dum Apostolicum Symbolū dicit, Descendit ad inferna, secundum Eph. IV. 6. I. Petr. III. 19. Protoplasti quoque crediderunt, quod Semen mulieris, vel Messias, Caput Serpentis extra dubium in Sede propria, nim. in inferno, sit contriturum, ipsum infernum quoque credentibus destructurus, & ex eadem ipsos liberaturus.

50. (2) Resurrectio à mortuis, quia confitetur Symbolum Apostolicum, quod Jesus Christus tertia die sit à mortuis resurrecturus, & ut Victor, in vitam sit rediturus: sic etiam Protoplasti, juxta Symbolum suum, crediderunt in Messiam vicum, non tantum ante mortem, sed etiam post mortem victoriosam; *tum* quia semper inimicitias, à Deo positas, retinebit, & Vivus contra Serpentem, & alios hostes, exercebit, dum ad inimicitias indefinentes ipse Deus respicit, quando sine determinatione dicit: Ego ponam inimicitias, cum primis respectu Messiae; *tum* quia Serpenti caput contrivit, quod est non tam Victoris mortui, quam Vivi; *tum* quia talis victoria verè fuit vivifica; *tum* quia, tanquam Messias, perpetuo fideles, vel poenitentes, vivificare debuit, & solus ipse potuit, & semper, ut beneficentissimus Redemptor, voluit: *tum* quia vivus est Crucianorum, vel sub cruce militantium, vexillifer, & antesignanus, v. 16. *tum* quia fuit ipsa Protoplastorum, ceu peccatorum, Vita v. 20. quod certe Viventem Messiam necessario requirit. Sic igitur, juxta fidem Protoplastorum, Messias, inter mortuos minime permanere, sed ad vivos redire, vel à mortuis resurgere debuit, quod etiam in sacrificiis figuratum, & representatum est, quia Sacrificium innocens moriebatur, & peccator offerens vivificabatur, vel ad vitam in domum suam revertebatur, & sic à mortuis quasi resurgebat, dum ante Sacrificium ob mortem, peccati stipendium, Rom. VI. 23. inter mortuos habebat, sed ob Sacrificium mortuum ipsemet in vita permanebat, & quasi novam per spiritualem resurrectionem vitam, ex gratia divinitus accipiebat.

51. (3) Ascensio in caelos, quae pariter in Symbolo disertis

SYMBOLUM APOSTOLICUM

38
 verbis asseritur, quod *Iesus Christus adscenderit ad Caelos*: sed in *Adami-
 nico Symbolo*, quoad literas, non exprimitur, multis tamen indiciis
 proponitur, tum *indicio promisso*, vel *Evangelico*, quia Semen mulieris
 ejusmodi promissum, quod semper justitiam divinam tranquillare
 peccatoribus possit; tum *indicio propheterico*, quia Semen mulieris
 post satisfactionem, & redemptionem, coelum peccatoribus referare
 debebat, tum *indicio typico*, quia Sacrificia per flammam, & per ignes,
 in coelum adscendebant; tum *ex indicio consueto*, quia tum apud Pa-
 triarchas, tum apud alios fideles, per modum cujusdam praeludii,
 tum *Messias* adscendere solebat, *Gen. XVII. 22. Jud. XIII. 20.* tum
ex indicio manifesto, vel *oculis conspecto*, quia citra dubium, sicut ali-
 as, post Sacrificium in *coelum adscendebat*, ita Messias hic, & in pri-
 mo Sacrificio coram Protoplastis in *altaris flamma* coelum adscendit.

52. (4) Sessio ad dextram Patris, quia *Symbolum Apostolicum* de Mes-
sia profitetur, quod *adscenderit*, propter hanc causam, *ut sederet ad
 dextram Patris omnipotentis*. Conf. *Marc. XVI. 19. Rom. II. 34.* Sic
 etiam, juxta *fidem Protoplastorum*, *Messias* in *Sacrificio*, vel post Sa-
crificii mortem, non frustra coelum conscendit, sed ut ibi, tum *omni-
 sapienter*, tum *omnipotenter*, tum *omnipresenter*, ad *dextram Patris*
gubernaret, *Ecclesiam* militantem ordinaret, & conservaret, & con-
 tra quosvis *hostes* in omni militia salvam, & incolumem praestaret.

53. (5) *Reditus ad judicium*, quia *Symbolum Apostolicum* Arti-
 culum *secundum* concludit, quod *Iesus Christus rediturus sit ad ju-
 dicandos vivos, & mortuos*. Hoc *Adamus* etiam in *Symbolo suo* cre-
 didit, tum *ex judicio primo Catholico*, v. 9. seqq. ex quo novissimum
 facile deducitur; tum *ex Messiae dominio*, quod praeter alia quoque
judicium includit *universale*; tum *ex judicio hypostatice*, quod Deus
 contra *Cainum* instituit, c. IV. Nam si *hic, iste, ille*, vel etiam *unus-
 quisque*, judicatur *judicio proprio*, sequitur etiam, quod *omnes* sint
 justè *judicandi* *judicio Catholico*; tum *ex officio didactico*, quia pri-
 mus hic *Doctor Adam* suis in scholis doctrinam de *judicio Messiae*
Novissimo proposuit; tum *ex Enochii vaticinio*, quia Hic ab *Adamo*,
 sicut & ab aliis *Patriarchis* edoctus, nobis illustre vaticinium de vi-
 sibili *Messiae* *reditu ad judicium* reliquit, quod *Judas* in *Epist. v. 14.*
memoriae prodidit: Propbetavit ET (hoc est non solus, sed cum aliis

Pa-

Patriarchis, & Prophetis,) de his septimus ab Adam, Enoch, dicens: *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere iudiciū, contra omnes impios, &c.* ubi non sine causa mentionem *Adami* facit, sed nō obsecurius *Adamum Enochi Doctorem* constituit, & *Ejus Doctrinae propagationem*, per integros septem Patriarchas luculenter ostendit.

54. Accedimus tandem ad *Articulum III. de Spiritu S.* ejusq; *sanctificatione*, sicut *Apostolici Symboli* conveniens ordo requirit. Quod *Spiritum S.* ipsum concernit, *Existentiam, Essentiam, Subsistentiam, Ordinis elegantiam, Characteristicam notam*, prolixè declarare possemus, sed in *Explic. Symboli*, sicut & in *Adami Theologia*, pariter in *Festo Pentecostali Paradisiaco*, prolixius illa tractata sunt: hac vice notamus (a) *Existentiam*, ex c. I. i. 2. 4. seqq. c. II. 3. c. III. 8. c. VI. 3. (b) *Essentiam*, ex c. I. 2. 4. seqq. c. II. 3. c. III. 8. c. VI. 3. (c) *Subsistentiam*, ex c. I. i. 2. seqq. c. II. 3. &c. (d) *Ordinem*, quod *tertia sit persona*, quia *Spiritus Elobim*, cap. I. 2. *Videns Elobim*, v. 4. seqq. *Sanctificans Elobim*, c. II. 3. *Illuminans Elobim*, c. III. 8. (e) *Characteristicam notam spirationis, & Processionis*, cap. I. 2. &c.

55. (2) *Sanctificationis etiam Opus Spiritui Sancto* non modo secundum *Apostolicum*, sed etiam *Adamicum Symbolum*, vere proprium, tum quia dicitur *Elobim Videns*, cap. I. 4. 10. 12. &c. h. e. creaturas productas *lustrans*, & ad finem *sanctificationis ordinans*; tum quia disertis verbis hic *tertius Elobim*, *Spiritus S. Elobim sanctificans* appellatur, c. II. 3. tum quia *Spiritus est Dei*, c. III. 8. *dei*, vid. *gratia*, spiratione sua, ceu *Spiritus*, movens, homines ad Deum, eosq; vere per verbum *sanctificans*: & ceu *Dei*, vel *lucis Spiritus*, eos *illuminans*, *fidem donans*, & *fide per verbum sanctificans*; tum quia dicitur *Spiritus Jehovæ*, totam *Ecclesiam sanctificans*, c. VI. 3.

56. (3) *Sanctam Ecclesiam Catholicam Apostolicam etiam Symbolum Spiritui S.*, tanquam *Officinam*, tribuit. Et talem *Adamus*, cum omnibus posteris, etiam credidit. Nam (1) non erat cum *Eva* sua cætus malignantiū diutius, sub tyrannide serpentis, ut v. 5. 6. sed ambo nunc per *Dei Verbum*, ab ipso Deo, per *spirationem, & illuminationem*, atq; *sanctificationem Spiritus*, ad *Ecclesiam Dei* congregabantur, ut & essent *Ecclesia Catholica primordialis*, & mox ab illis procederet *Ecclesia Catholica, vel Universalis*: Et hæc *Messia congregata Ecclesia* vere *sancta* dicebatur, (a) *in Patre Sancto*, (b) *in Messia sancto*, tanquam

40 SYMB. APOST. ADAMI PROTOPLASTI.

quam sancto Sanctorum, Dan. IX. 24. (c) in Spiritu Sancto, tanquam Spiritu Dei, (d) in Verbo sancto, (e) in fide sancta, (f) in vocatione sancta, (g) in vita, vel conversatione sancta, (h) in penitentia sancta, v. 22. (i) in cruce sancta, v. 16. (k) in militia sancta, v. 15. (l) in iustitia sancta, v. 11. (m) in conversatione Cherubim sancta, v. 24.

57. (4) Sanctorum communionem, addit Apostolicum Symbolum, quam Adamus in Symbolo suo quoque; vere credidit, tum in Ecclesia paradisiaca, v. 8. seqq. tum in Ecclesia Abelica, c. IV. 4. tum in Ecclesia Sethiana, v. 25. tum in Ecclesia Enoschiana, v. 26. tum in Ecclesia subsequentium Patriarcharum, c. V. quamdiu Patriarcha primus Adam vitam suam terrestrem continuavit.

58. (5) Remissionem peccatorum, h. e. veram justificationem, & hanc sequentem sanctificationem, quam utramque, cum aliis salutiferis beneficiis, Spiritus S. mediante verbo per fidem operatur, Apostolicum Symbolum ordine tradit: Hac etiam Mystera per verbum fide firma Protoplasti crediderunt, postquam illa per divinam revelationem cognoverunt. Nam (1) veram per Messiam penitentiam Adamus cognovit, & exercuit. (2) Mox remissionem peccatorum in Semine mulieris accepit. (3) In remissione peccatorum, & imputatione iustitiae Messiana vere justificatus est. (4) Et hinc, quoad fieri potuit, in tota vita studium sanctitatis, ambulando coram Deo, diligenter excoluit.

59. (6) Carnis resurrectionem penultimo loco Symbolum Apostolicum addit, quam Resurrectionem Carnis, eamque pariter Universalem, Adamus in Symbolo suo credidit, (1) ex resurrectione Messiae, (2) ex Vita Messiae, (3) ex animosa mortis susceptione, v. 19. (4) ex mortis in vitam permutatione, v. 20. (5) ex Abelis in morte vociferatione, &c.

60. (7) Aeternam denique vitam Apostolicum Symbolum adjungit, & in ea totam Fidei Confessionem concludit: Hanc aeternam vitam optime cognovit, & credidit Adamus, (1) ex anima rationalis conditione, (2) ex ipsa Hominis creatione, (3) ex imaginis divinae consideratione, (4) ex imaginis hujus amissa divina restitutione, (5) ex vivifica Dei commiseratione. (6) ex immortalis vitae per Messiam consecutione, (7) ex mortis abolitione, (8) ex mortis in vitam commutatione, (9) ex Martyris Abelis apud Deum permansione, c. IV. (10) ex Henochi in caelum translatione, c. V. &c. Nos plura nunc addere non possumus, sed ex fide grato pectore dicimus

SOLI DEO SIT GLORIA!

ne
ris
lie
de
or
us
ia
ita
o-
r-
ie
or-
cc.
&
am
io-
ne
Dei
dex
ris
ns-
de


05 A 687

ULB Halle 3
004 207 645


04







IN NOMINE JESU!
SYMBOLUM APOSTOLICUM
ADAMI PROTOPLASTI,
HOC EST,
CATHOLICA CHRISTIANORUM
DOCTRINA,
SYMBOLO APOSTOLORUM
COMPREHENSA,
SED PRIMIS STATIM FIDELIBUS
GENES. III. DIVINITUS REVELATA,
NUNC
SOLENNI DISPUTATIONE
DEMONSTRATA,
QUAM
IN ALMA WITTENBERGENSI ACADEMIA,
PRÆSIDE
D. JOHANNNE Deutschmann/
Prof. Primar. Colleg. Theol. Seniore,
& p. t. Decano,
RESPONDENS
M. JOH. CHRISTIANUS ADAMI,
LUCCAVIENSIS LUSATUS, ECCLESIAE PATRIÆ
ARCHIDIACONUS, ET SS. THEOL. CANDIDATUS
DIGNISSIMUS,
PRO CONSEQUENDIS SUMMIS IN THEOLOGIA
HONORIBUS,
IN AUDITORIO MAJORI,
Ad Diem Julii, Anno Æ. C. cIc Ixc XCIV.
Horis Ante- & Pomeridianis,
publice defendet.

WITTENBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.